



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

XI. Dalmatia, Croatia, Bosnia Catholica seruata est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

cœlestē, qui mensæ impositus iacebat, defigit, in-
 quiens: *Situ Deus Christianorum es, sub his panis spe-*
ctibus velatus, age Destatē tuam miraculo aliquo o-
stende. Vix ictum ille infixerat, quum ecce sanguis
 copiose in altum ebullit, miseris illis metu & stu-
 pore obrigescētibz. Eodem fere momento do-
 mus illa vbi erāt, fulmine tangitur, & vnā cum ple-
 risque omniibus (frequentes enim conuenerant)
 cœlesti igne absumitur. Tres tantum semiustulari
 euaserunt, diuino consilio, vt & lux malitiæ, & di-
 uini quod viderant miraculi essent testes: quibus
 captis, remq; omnem fassis, cutis viuis detracta, &
 corpus stipiti, supplicio illis in locis consueto, fuit
 infixum. Tanto vero illustrius id fuit miraculum,
 quod & mensa, & duæ hostiæ, quarum vna cultri
 ictum præferēbat, post incendium integra reperta
 sunt, & infinita inspectante hominum multitudine
 collecta & asservata. Ecce tibi mirabilia Dei ope-
 ra, quæ cæci illi & in peccatis obstinati Sacramen-
 tarij videre & agnoscere nequeunt, quibus similia
 non pantea Francia nostra vidit. Narravit multis
 nobilis quidam Hugo nota (cui hac in re fidem
 deberi nemo, credo, negabit) quum pater ipse cū
 militibus quibusdam in templum irrupisset, unum
 ex illis ad sacerdotē sacrum facientem accurrisse,
 & hostiæ ictum gladio infixisse, è qua statim san-
 guis emanarit, spectantibus mirū in modum atro-
 nitis, & postea non sine stupore alijs idem narra-
 tibus.

In toto vero Hungariæ regno, cuius magna
 pars Turcarum subest imperio, ita tamen ut Chri-
 stianis Catholicam proficēdi religionem liber-
 tas permittā sit, Societas Jesu unum saltem habet
 Collegium, à Cardinali Dracouitio Episcopo Ja-
 variensi olim fundatum, quod, licet fremētibz
 & omni ex parte insultantibus hæreticis, Catho-
 licæ religioni magno ijs in locis & præsidio & or-
 namento iam ab annis aliquot fuit. Illud vero
 quod eadem Societas Viennæ in Austria habet,
 longe uberrimos affert fructus, ut ad quod plera-
 que Hungariæ Nobilitas filios pietate & litteris
 imbuendos mittit, unde fit ut complures quotidie
 deserta hæresi, ad Catholicam redeant Ecclē-
 siam.

IX. Ad Dalmatiam, Croatiam & Bosniæ reg-
 num quod attinet, quæ à Ladislai usque tempori-
 bus Hungariæ coronæ fuerunt annexa, totus fe-
 re ille terrarum tractus, contra Lutheranorum,
 Picardorum & Arrianorum tam clandestinos quā
 apertos conatus, Georgij Dracouitij, qui Im-

peratori Ferdinando à Confessionibus primo fuit
 deinde Cardinalis factus, his regionibus tam-
 quam Imperatoris Legatus præfuit, potissimum
 opera cum æterna ipsius laude in Catholicæ Ec-
 clesiæ unitate permanfit. Et rebus humanis de-
 functo, Thomas Erdodius Eques illustrissimus
 & Catholicæ religionis singulari zelo flagrans,
 successit: is qui Bosniæ præfectum Anno M.D.
 X.C.III. memorabili prælio fudit. Post hunc Jo-
 annes Dracouitius reipublicam in his regionibus
 Legati nomine administravit, Catholicamque re-
 ligionem non minori zelo quam prædecessores &
 defendit & promovit. Ex Nobilitate quidem pau-
 ci hæreticorum partibus adiuncti sunt, ij fere tan-
 tum qui in Seritiorum, Nadastiorum, Battiano-
 rum & aliorum Hungariæ procerum partim Lu-
 theranorum partim Calvinistarum sunt familia,
 vel aulas eorum frequentarunt. Promiscua vero
 plebs Dalmatiæ, etiam translato in Hungariam
 domicilio, avitam religionem vel in media hære-
 ticorum colluvie, constanter tenetur. Et licet
 Bosniæ regnū Turcico hodie subest imperio, Ca-
 tholica nihilominus religio, singulari Dei benefi-
 cio integra adhuc ibi conservata est. Transylva-
 niam nunc lustremus, non tam confusijs quam ca-
 lamitibus & miserijs Hungariæ proxime coniun-
 ctam.

DE MUTATIONE RELIGIONIS
 & reipublicæ in Transylvania, ac miserabili
 ejus statu.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

- I. Ferdinandus Austriacus & Joannes Sepsius de
 Transylvania inter se contendunt.
- II. De Georgio Monacho post Cardinali eiusq; vita &
 morte, succincta Narratio.
- III. Eius mors, Lutheranis in Transylvaniam aditum a-
 perit per Petrouitium Medicum, à Blandrato se-
 ductum.
- IV. Germani in Transylvania Lutheranam doctrinam
 spargunt. Petrouitius Turcarū potestati plantat.
- V. Solimannus Lutheranam hæresin è Transylvania e-
 liminari iubet eo quod Nova esset, & Blandra-
 tus à nepote suo occiditur.
- VI. Mortuo Ferdinando I. Maximilianus Imperator in-
 felicia auxilia petit pro Hung. & Transylvania
 recuperanda.

VII. Qui-